



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistola Gregorii Papae X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

VITA ET EPISTOLA
GREGORII PAPÆ X.

ANNO
CHRISTI
1276

GREGORIVS decimus, Theobaldi nomine antea vocatus, e Vicecomitibus Placentiæ & archidiacono Leodiensi, vitæ sanctissimæ homo, cum in Asia contra infideles cum exercitu Christianorum pugnaret, post interregnum duorum annorum nouemque mensium Viterbientium & sancti Bonauenturæ hortatu ab omnibus prope cardinalibus electus est Viterbii decimosextimo Septembris anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, tempore Rudolphi primi imperatoris. Rogatu Caroli regis maritimo itinere in Apuliam profectus, regisque comitatu Caperanam vsque stipatus, terrestri itinere Viterbium concessit: inde cum cardinalibus Romam deuenit, vbi vigesimosextimo Martii coronatus & consecratus est. Rebus ecclesiæ pacatis, in præsentia Gallorum regis inter Venetos & Genuenses quinque annos induciarum pepigit. Exinde Lugduni congregauit Concilium, in quo Palæologo Græcorum imperatore per legatos præsentem Græca & Latina ecclesiæ decimatertia vice vnita fuerunt. Florentiam interdicto puniuit, quod Gibellinos eo per se remissos eiecissent. Absoluto Concilio in Italiam regrediens, obuiam factus est regi Castellæ. Quo grauiter conquerente quod in electione imperatoris Rudolpho fuisset posthabitus, auditis tamen pontificis optimis rationibus pacatum reddidit. Aretium dilatus, cum propter interdictum Florentiam declinare studeret, in morbum incidit, & post quatuor annos, totidemque menses, & decem dies ab electionis tempore elapsos, mortuus est Aretii in Tuscia quarto Idus Ianuarii, anno millesimo ducentesimo septuagesimosexto: sepultus est ibidem in cathedrali ecclesia. In Concilio iam dicto, inter alia decreta, auctore Onuphrio, hoc vnum adinuenit, vt mortuo pontifice, cardinales in conclauibus sub firma custodia recluderentur, ad euitanda pericula quæ ex diuturniori electionis dilatione oriri potuissent. Huius tempore emerferunt ex

Stt iij

Italia Flagellantes hæretici incerto auctore, qui per Germaniam & Galliam vagantes semetipfos flagellabant, & inter ceteros errores hos prædicabant; neminem saluari posse nisi in sanguine de proprio suo corpore per flagella excusso baptizaretur. Aquam benedictam nihil efficaciam habere. Plures vide apud Sanderum libro septimo de visibili monarchia. Quo & quali habitu vsi fuerint, Stero in suis annalibus anno millesimo ducentesimo sexagesimo describit his verbis: Ab umbilico sursum corpora denudantes, quadam veste partem corporis inferiorem vsque ad talos tectam habebant: & ne quis eorum agnosceretur, cooperto capite & facie incedebant: Procedebant etiam bini, terni, tamquam clerici, vexillo prævio vel cruce, flagellis semetipfos bis in die per triginta tres dies, & deinde in memoriam temporis humanitatis Domini nostri Iesu Christi super terram apparentis tamdiu cruciantes, quousque ad quasdam cantilenas, quas de passione ac morte Domini dictauerant, duobus vel tribus præcinentibus circa ecclesiam vel in ecclesia compleuerunt, nunc in terram corruentes, nunc ad cælum nuda brachia erigentes, non obstante luto, vel niue, frigore vel calore. Miserabiles itaque gestus ipsorum & dira verbera multos ad lacrymas & ad suscipiendam eandem poenitentiam prouocabant. Sed quia origo eiusdem poenitentiam nec a sede Romana, nec ab aliqua persona auctorabili fulciebatur, a quibusdam episcopis & domino Henrico duce Bauariæ cœpit haberi contemptui, vnde tepescere in breui cœpit, sicut res immoderate concepta. Hæc Stero. Vide infra historiam Concilii Lugdunensis II.

EPISTOLA

GREGORII PAPÆ X.

AD HENRICVM LEODIENSEM EPISCOPVM.

Eum in Concilio Lugdunensi propter incontinentiam denuntiatum & conuictum, antequam episcopatu priuaret, hortatur ad poenitentiam.

DEBET vnusquisque, cui dominicus grex committitur, & cura imminet animarum, super gregem ip-

sum vigilias aduersus nequitas spirituales obseruare: nam vigilias salutare esse nullus sanæ mentis ignorat, quia reuera plus vigilare plus viuere est. Quid est tam morti simile quam dormientis aspectus? aut quid tam vita plenum, quam forma seu conditio vigilantis? Indulgendum quidem somno est, vt quis corpus reparat, non soluat; vt vires reuocet, non eneruet. Quænam ars, quod opus, officium seu potestas, quæ non vitæ lucubratione proficiat, & quærat?

Plus vigilare, plus viuere est.

Nauta enim vigilando calles transit inuios, & nocturno vestigio ad lucrosi portus votiuam peruenit mansionem: pastor sibi totum denegat dormiendi tempus, ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem occasio præbeatur: viator etiam solers, æstus, per noctis semitas, solis præuenit, & actum diei prouidentius deputat mansioni: miles quoque in castris superuenientes impetus nocturnos solita pernoctatione propellit: at rex in procinctu peruigil callidi hostis præcauet insidias & enitat.

Si itaque tantæ exiguntur vigiliæ vbi de temporalibus agitur & caducis, euidenter apparet, quod sollicitudinis oculus claudi non debet, vbi fructus ipsarum perquiritur animarum. Tenetur ergo quilibet pro gregis custodia summo opere vigilare prælatus: sed lumbis præcinctus: tota enim in præcingendis lumbis cura mandatur, totum in constringendis ipsis a Dei Filio statuitur ius præcepti; addito tamen lucernarum solatio: sine quo nec noctis aperitur obscuritas, nec venientis diei clarescit aspectus. Sed cur lumbos potissime nominat, cur tanta iubentis auctoritas lumborum signanter efficit mentionem? Hoc profecto accidit, quia in lumbis est tota pene humani lapsus & humanæ fragilitatis occasio. Propter quod principaliter ipse Dei Filius lumbos præcingi iubet balteo castitatis, totumque carnis pendulum, fluidum, resolutum constringi mandatur ligatura virtutis, vt carne succincta liberior ad Deum ipsi prælato pro subditis sit accessus. Nam tunc, non carnis corruptela, non mole corporis prægrauatus, inter Deum & subditos eosdem se ipsum, iuxta etymologiam nominis, pontem facit: offert namque ipsi Deo tamquam mediator legitimus populi preces &

Oculus sollicitudinis claudi non debet, vbi fructus perquiruntur animarum.

Lumbi præcingendi ante omnia, & quare.

Luce. 10.
Et habetur de penitentia dist. 5. cap. Qui sanctus.

vota ; & per ipsum tamquam pontem medium , benedictio eius reportatur & gratia. Ingratis enim improperat diuinæ bonitatis beneficia , contemnentibus potentia seueritatem insinuat , vtrisque tamen studet indignantis placare feruorem ; nunc hominum infirmitatem , nunc diuinæ prætendens magnitudinem pietatis. Constringenda ergo est ipsa caro continentia cingulo , ne effusa vitiis ac toto peccatorum grauata pondere , cælestibus ipse prælatus pro se ac subditis insistere minus possit. Sed nec quidem carnis impetus refrenare , paruulos ad petram elidere , & , quod maius est , conscientiam mundam habere , non sufficit in pastore ; imo vltra id oportet , vt lucernas in manibus habeat ; tum ex eo quod lucernæ semper in testimonium innocentia tempore nocturno portantur , tum etiam , quia sicut vitiis amica sunt tenebræ , ita lucernæ semper sunt criminum inimica. Nec tamen istud satis est in prælato , nisi ipse deferat lucernas arden-tes : quia etsi lucere est vanum , ardere parum , ex his tamen duobus conficitur quid validum & perfectum. Nam quid lucernæ arden-tes , nisi exempla in ipso prælato vitæ sanctitate præclara , quæ dum fomentis operum , misericordia oleo , ac caritatis inflammantur ardore , ipsum prælatum talem exhibent & ostendunt , quod dici potest merito forma gregis , ac populi sui salus.

In pastore non sufficit conscientia mundam habere. De penitentia dist. 3. cap. In salicibus.

Oportet lucernas arden-tes tenere.

Dist. 95. cap. Esto. Henricus episcopus de præmissis nihil habet.

Recensentur aliquot eius crimina.

Dolere itaque merito & gemere debes & potes , & nos vice tua , cum te sincere diligamus , non amaricari non possumus , ex eo quod si vera sunt , quæ de te dicuntur , non tamquam pastor , sed idolum nihil obtines de præmissis , quia gregis tui profectibus non inuigilas nec intendis. Zona continentia non inhæret lumbis tuis , nec exempla vitæ , sed mortis , transmittis ad subditos , quos tyrannice prosequeris , non complecteris caritate. Quæ vero publice de tua dicuntur persona , etsi non omnia , aliqua tamen tuis pro tua salute aspectibus volumus tenore præsentium præsentari , vt saltem rubore perfusus spiritum iuxta desiderium nostrum emendationis assumas , reddasque te talem , quod nobis de tua correctione gaudentibus plorandi te mortuum culpaque prostratū de cetero necessitas non incumbat. Accepimus namque , non sine multa mentis amaritudine , quod tu , episcopali grauitate prorsus abiecta ,

fimo-

simonia, incontinentia, aliisque variis & diuersis criminibus irretitus, voluptatibus & desideriis carnis te totaliter deputas, ita quod tam ante promotionem tuam, quam etiam post, quamplures filios & filias procreasti. Qui etiam in operibus mortis gloriam tuam ponens, & quamdam abbatissam ordinis sancti Benedicti tibi publice constituens concubinam, dum federes in quodam conuiuio coram omnibus qui tunc aderant impudenter confessus fuisti te infra viginti duos menses quatuordecim filios suscepisse, quorum aliquibus in minori constitutis aetate beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura contulisti, & ab aliis procurasti conferri: aliis etiam filiis tuis vtriusque sexus, quos matrimonialiter nobilibus & potentibus procurasti coniungi, bona tui episcopatus mobilia & immobilia assignando.

Abbatissam
habet concubinam.

Bona episcopatus
pro dote assignat
prohibus.

Ad maiorem quoque tuae damnationis cumulum, in quodam manerio tuo, quod Parcus vulgariter nuncupatur, quamdam monialem monasterii sanctarum virginum eiusdem ordinis diu tenens, alias mulieres eidem moniali associare curasti; & cum ad locum illum accedis, relictis exterius illis, quos tecum ducis, solus ingrederis ad easdem. Præterea cum in cœnobio quarundam monialium dicecesis tuae, abbatissae regimine destituto, electio abbatissae canonice celebrata fuisset, tu huiusmodi electione cassata quamdam puellam natam nobilis viri comitis de cuius filio quamdam filiam tuam in uxorem tradideras, in abbatissam ibidem præficere præsumpsisti, quæ postmodum ex te sibi incestuose concipiens nuper peperisse dicitur, in totius scandalum regionis. Ad hæc cum quædam alia monialis, quam sollicitaueras, tuae prudenter non acquiesceret voluntati, quidam clericus frater ipsius monialis, te promittente sibi quod de beneficio prouideres eidem, monialem prædictam, cui mendaciter suggererat quod ipsam ad quamdam villam duceret causa visendi confanguineos quos habebat in ea, ad quoddam manerium tuum fraudulenter adduxit, quæ iam ex te dicitur concepisse. Sicque nominatus clericus præbendam in ecclesia Leodiensi ex collatione tua extitit assecutus. Insuper autem tres filios, quos genuisti de prædicta moniali sancta-

Fit incestuosus scādalo totius regionis.

Filiam dat
comiti in
coniugem,
& dotē af-
signat tan-
tam.

rum virginum fecisti recipi in ecclesia tuæ diœcesis in clericos & in fratres, duas similiter filias ex eadem moniali suscipiens, earum alteram A. filio eiusdem comitis tradidisti in vxorem, cui possessiones emptas de bonis ecclesiasticis pro mille quingentis marchis argenti diceris contulisse. Porro cum pro ecclesiæ debitis, quibus episcopatum tuum obligatum dicebas, vicesimam ecclesiasticorum reddituum ecclesiarum tuæ ciuitatis & diœcesis tibi obtinuisses ab apostolica sede concedi, tu ipsa vicesima non contentus, in qualibet ecclesia tuæ ciuitatis & diœcesis fructus dimidiæ præbendæ, prætextu terrarum ecclesiæ Leodiensis, quas obligatas mendaciter asserebas, percipis annuatim. Et tam prædictam vicesimam, quam eisdem prouentus congregas, vt ex eis prædictos tuos filios locupletes, prout ex eo pater, quod quadam vice dum ægrotares, palam asseruisti id duntaxat cordi tuo esse molestius, quod male de negotio tuorum cogitaueras puerorum. Illud etiam non duximus omittendum, quod si aliqui super prouisionibus suis

Apostolicas
litteras con-
temnit.

de beneficiis ad tuam collationem spectantibus apostolicas literas impetrant, tu ipsos vti huiusmodi literis aliquo modo non permittis; & si contra fecerint, eos personaliter capi, & carcerali facis custodiae mancipari, in grauem apostolicæ sedis iniuriam & contemptum. Et quod ita sit, manifeste conuincitur ex eo quod dilectum filium A. clericum, natum nobilis viri comitis de... turpiter eiici fecisti de ipsa ecclesia Leodiensi, resignare compellens eundem quemdam archidiaconatum, qui sibi in eadem ecclesia ex eiusdem sedis gratia competebat. Ad hæc tu libertatem & immunitatem ecclesiasticam, quantum in te est, euacuare contendens, sæculares ac etiam religiosos, clericos atque laicos, indebitis exactionibus aggrauas. Et si forte aliqui personarum suarum periculum vitare volentes ad ecclesiam confugiant, ipsos puniendos facis extrahi exinde violenter, in derogationem ecclesiastici iuris, quod super hoc in illis partibus laudabiliter obseruatur. Iura quoque ecclesiarum aduersus nobiles, qui ea sæpius occupant, non defendis: & in exercenda temporali iustitia, prout ad te pertinet, omnino negligens & remissus existens, fures, ho-

Ecclesiasti-
cam liber-
tatē & im-
munitatem
euacuat.

micidas, & malefactores alios deprehensos pro commissis excessibus puniri, dummodo tibi ab eis perfoluatur pecunia, animaduersione debita non permittis. Quid plura? Horas canonicas, maxime cum eas nescias, & illiteratus existas, in animæ tuæ periculum prætermittens, laicalibus & interdum purpureis vestibus te induis, zonis argenteis & deauratis vteris, ita quod te non prælatum, sed potius militem repræsentas. Ha Deus! si hæc vera sunt, imo quia sine aliqua dubitatione pro veris habentur, quid faciet populus Leodiensis tibi commissus, quem non salutis pabulo reficis, sed inficis perniciosis exemplis? Grex iste Leodiensis quomodo inueniet pascua, quæ tu pastor ignoras? quomodo dirigetur per viam, quam tu dux eius non tenes? aut quomodo a contagione curabitur, qua tu eius medicus es infectus? *non enim mundatur aliquid ab immundo*: imo qui fordes vult alienas diluere, mundas manus debet habere. Ha Deus! si populus iste indigeat gratia Dei, quomodo eam, quam tu non habes, sibi poteris precibus impetrare? *nam peccatores non exaudit Deus*: & dum reus ad intercedendum mittitur, ad deteriora irati iudicis animus prouocatur. Ha Deus! Cur tu sic es famæ prodigus, & salutis oblitus, quod obseratis interioris hominis auribus diuinæ comminationis tonitruum non attendis? Clamat enim quæ non mentitur scriptura. Et quid clamat? *Quod exiguo debetur misericordia, sed potentes potenter tormenta patientur, & graue iudicium imminet his qui præsumunt*. Nam si manus hominis euaseris, ipsius tamen Dei pro tantis excessibus manus effugere non valebis. O quam terribilis est in iudicio ipse Deus; nam furor est zelus ipsius. In die vindictæ non parcat; non acquiescet cuiusquam precibus, non verebitur vultum potentis, & in muneribus non flectetur. Tu vero qui gregem ipsum sic pereundo perimis, si inest tibi tamquam homini aliquid rationis, si qua scintilla diuini timoris imminet cordi tuo, si deuotionem aliquam ad nos habes, ingredi saltem nunc in cubiculum mentis tuæ, & diligenter attende defectus quos circa officium pateris pastorales, ac maculas quibus respergeris, tamquam vitiorum sentina: tunc, si tuam salutem non negligis, sed velis salubriter ab huiusmodi abe curari, & tam

Eccles. 34.

1. quest. 1.
cap. Necess.
se est.

Ionn. 9.

Sap. 6.


8. quest. 1.
cap. Illud.

Leodii sunt
mulieres &
viri reli-
giosi, qui
sua & alio-
rum pec-
cata deplora-
rant.

seuerum declinare iudicium animarum, quasi vnigeniti fac tibi planctum, lamentatrices aduoca, vt super mortuum & abiectum lamentum doloris assumant, & terram pro te lacrymis irrigantes, tibi veniam impetrent, antequam tartarus rapiat, & exterioribus tenebris inuoluaris; festina conuerti ad Deum, noli tardare, ne, si in mora fueris, iam non sit locus remedio, ex quo vitia fuerint in mores conuersa, non enim longe sunt lamentatrices hominum, sed inueniuntur Leodii scilicet mulieres, & viri religiosi, qui profundis gemitibus sua & aliorum sæpe peccata deplorant, quorum, si velis, suffragiis poteris vtiliter adiuuari. Nec te quidem oblectatio deinceps peccati seducat, quia æternum est quod cruciat, & si sit momentaneum quod in ipso peccato delectat: nec te florida iuuentus decipiat, longum tibi ad pœnitendum spatium temporis promissura, quia res Deus humanas ita celeri citatas turbine versat, vt nemo quantumcumque iuuenis iam sibi possit crastinum polliceri. Protinus itaque tuæ prouisurus salutis aduoca medicum animæ tuæ languoribus congruentem, cuius salubri consilio sic commissa fletibus diluas, quod ea vltius non committas; orationi quoque insistere, vacare ieiunio, & misericordiæ operibus studeas inseruire: quia si horum munimine vallatus perstiteris, diaboli iacula, mundi machinas, & carnis dementes impetus, tamquam bellator dominicus, non poteris formidare: nam ieiunio cogitur caro seruire spiritui, oratione tentator fugatur, & fluentis misericordiæ in persona proximi ipse Deus se asserit visitari. Circa diuinum quoque ac pontificale officium sic te sedulum & deuotum exhibeas, quod licet tuæ seruitutis sit debitum, eo tamen ipsi Deo fiat acceptius, quo & deuotius fuerit persolutum. Denique renoueris spiritu mentis tuæ, vt veteri homine, qui ambulauerat iuxta desideria carnis suæ, prorsus deposito, nouum induas hominem qui creatus est in iustitia & sanctitate, vt per hoc tam subditi tui quam etiam alii conuersationem tuam bonam videntes glorificent ipsum Deum: & ex fragrantia bonorum operum fiat eis odor vitæ in vitam, quibus prius fueras odor in mortem, exigentibus culpis tuis. Quod autem ad præsens sic scribimus, officium nostrum, cum Deus nos licet indi-

gnos speculatorem domus Israel deputarit, hoc requirit: quia si tibi non denuntiauerimus ut a via tua mala auer-
 taris, & viuas, sanguis tuus est de nostris, testante scriptu-
 ra, manibus requirendus. Sed profecto nos ad id non
 rantum ipsum inducit officium, imo & caritatis sinceritas,
 quam ad tuam personam & ecclesiam tibi commissa-
 sam specialiter habemus, quæ nos circa salutem tuam, &
 honorem dictæ ecclesiæ sic sollicitos efficit & attentos,
 quod tunc quiescere seu silere non possumus, ubi tibi &
 eiusdem ecclesiæ ex præmissis casum seu iacturam conspi-
 cimus imminere. Tu ergo in mansuetudine spiritus, quod
 tuam potest saluare animam, reuerenter suscipias ver-
 bum nostrum paternum, exauditione quidem dignum:
 sicque diligenter illud impleas, quod nobis desideranti-
 bus tuam salutem & gaudium, tibi que secundum utrum-
 que hominem cedere possit ad profectum.

Ezech. 3.

Gregorii
pape amor
erga episco-
pum & ec-
clesiã Leo-
diensem.

Tcc iij